



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Articulus V. Quinam obligentur lege humanâ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

[2.] quotiescunque boni communis magis interest observatio legis, quam vita subditi.

Ratio 1. partis est: Potestas Legislativa ordinatur ad conservationem totius communitatis; sed aliquando nequit conservari tota communitas, nisi pars exponatur periculo vitæ pro bono totius, veluti cum in bello milites, cum tempore pestis medici ad curanda corpora, Sacerdotes ad ministranda Sacramenta exponuntur: ergo lex hoc potest præcipere.

Secunda pars, quæ explicat, undenam dignosci possit, quando lex humana obliget cum vitæ discrimine, probatur: Cum finis primarius legis sit bonum commune, tamdiu viget legis obligatio, quamdiu ipsius observatio est necessaria pro bono communi: sed in casu, quo boni communis magis interest observatio legis, quam vita

subditi, legis observatio est necessaria pro bono communi, non obstante vitæ periculo: ergo etiam hoc non obstante viget ipsius obligatio.

Hinc optime colligit Magnif. P. Peitschacher discrimen inter legem Divinam, & humanam; quod cum lex Divina non obligat cum vitæ aut alterius gravis boni dispendio, id tribendum sit Divinæ benignitati, temperantis usum suæ præmæ potestatis & dominii in nostram vitam & corpora: cum verò lex humana non obligat cum ejusmodi dispendio, id sit adscribendum defectui potestatis, quia legislator humanus ab auctoritate naturæ mediante communitate non accepit potestatem disponendi de vita & bonis subditorum nisi in ordine ad salutem, & bonum communitatis.

ARTICULUS V.

Quinam obligentur lege humanâ?

SUMMARI A.

1. *Alia vis legis directiva, alia coactiva.*
2. *In statu Aristocratico quilibet ex Optimatibus directè obligatur.*
3. *In materia de decemne statum Principis, ipse non obligatur suâ lege.*
4. *Neque obligatur suâ lege quoad vim coactivam.*
5. *Tenetur Princeps lege, quæ tantum est suâ quoad modum.*
6. *Tenetur suâ lege per accidens ratione scandali, vel peccati.*
7. *Princeps quoad vim directivam tenetur suis legibus.*
8. *Non directè. 9. Sed indirectè.*
10. *Quomodo tenetur Princeps lege irritatoriâ?*
11. *Obligatio Principis non est ex sola decentia naturali.*
12. *Transgrediendo suam legem in gravi materia peccat mortaliter contra illam virtutem, ad quam materia præcepta pertinet.*
13. *Objectiones solvuntur.*
14. *Indirecta obligatio Principis non nascitur ex peccato.*
15. *Princeps per se non obligatur lege municipali.*
16. *Ecclesiastica persone neque directè, neque quoad vim coactivam obligantur per leges civiles.*
17. *Neque obligantur legibus summi statum dedecentibus.*
18. *Clerici indirectè obligantur legibus civilibus commune concernentibus.*
19. *Argumentum oppositum diluitur.*
20. *Infantes & amentes non obligantur humanis legibus.*
21. *Pueri post usum rationis subjiciuntur legibus humanis juxta ætatis capacitatem.*
22. *Et incurrunt censuras annexas.*
23. *Præsentia subditi alia physica, alia moralis.*
24. *Subditus etiam moraliter absens non tenetur lege sui territorii.*
25. *Disparitas inter legem & præceptum.*
26. *Non obest, tamen si subditus excedat territorium ad evitandam obligationem legis.*
27. 28. *Corollaria practica.*
29. *Peregrinus per animum permanendi in aliquo loco acquirit ibi domicilium, & tenetur legibus loci.*
30. *Advena volentes longo tempore habitare subjiciuntur loci legibus.*
31. *Peregrini transeuntes tenentur legibus communibus.*
32. *Et necessarii ad conservationem boni publici.*
33. *Leges, quibus præscribitur forma contractuum.*
34. *Legibus particularibus non tenentur.*
35. *Solvuntur Objectiones.*
36. *Vagi subjiciuntur legibus loci.*

§. I.

An Princeps tenetur suis Legibus?

Nota, vim & efficaciam legis esse duplicem directivam, & coactivam. Illa est, quæ obligationem inducit in conscientia; illa, quæ transgressorem poenâ impositâ coerct, eiq̃ne reddit obnoxium. Rursus: obligatio in conscientia potest à vi directiva provenire vel directè, vel indirectè. Directè, si causa obligandi sit ipsa lex & voluntas Legislatoris; indirectè, si lex & voluntas Legislatoris tantum sit occasio, ut obligatio aliunde resultet. E. g. subditi directè obligantur lege territorii, quia subjiciuntur jurisdictioni Principis legem ferentis; non subditus, si rans se servaturum leges territorii, indirectè obligatur, quia lex est ipsi occasio, ut juramento ligetur. Hoc posito

Certum est primò, quòd, in statu Aristocratico, ubi Optimates dominantur, & in statu Democratico, ubi summa potestas est penes certum populi, quilibet ex Optimatibus, & ex populo directè obligetur publicis legibus, quæ in priori statu senatusconsulta, in posteriori plebiscita vocantur: quia quilibet ex Optimatibus & popularibus est verus subditus respectu totius civitatis, tum optimatum in statu Aristocratico, tum populi in statu Democratico, adeoque directè obli-

gari potest. Igitur quæstio procedit de Legislatore Monarchico, h. e. Principe Ecclesiastico, vel seculari, de quo

3. Certum est secundò. Silex contineat materiam subditis propriam, cujus observatio dedecet dignitatem & statum Principis, tunc eundem suâ lege nullatenus obligari, ut si lex jubeat, ne quis gladius incedat, &c. Unde rursus procedit quæstio in materia Principi civibusque communi, ut si sit lex de servando jejunio, certo rerum pretio, &c.

4. Certum est tertio. Principem non obligari suâ lege quoad vim coactivam, quia cogere, & penas infligere est actus extrinsecus à Superiore procedens: sed Princeps Monarchicus non habet se superiorem: ergo. Igitur loquendo solum de efficacia & vi legis directivæ:

5. Certum est quarto. Principem teneri suâ lege, quæ tantum est humana quoad modum, & quandam materiale determinationem; est verò Divina vel naturalis quoad substantiam: huic enim non minus ipse subicitur, quam subditi. Sic suppositâ lege taxante valorem monetæ, vel pretium rerum, jure naturali princeps obligatur servare ejusmodi pretium in contractibus. Suppositâ determinatione juris Divini, quo S. Communio præcipitur, ad tempus Paschale, etiam Sum. Pontifex obligatur, &c.

6. Certum est quinto. Principem Legislatorem, quoad vim directivam obligari posse per accidens, nimirum ratione scandali, vel pacti intervenientis, si videlicet pacto se obliget erga suos subditos, eâque conditione principatum suscipiat, quòd nullam velit legem ferre, nisi quam ipsemet observet. Ulterius ergo quæritur: An etiam per se Princeps obligetur suâ lege quoad vim directivam? De quo triplex potissimum est sententia. Prima negat, Principem directè, vel indirectè quoad vim directivam obligari suis legibus, quam tenet Salas disp. 14. sect. 2. Azor l. 5. c. 11. Sangallenses sect. 3. q. 2. Suarez l. cit. aliique sentent, obligari directè; communior sententia quam docent Salmantic, agnoscit in Superiore obligationem, sed indirectam, in cujus tamen sententia explicatione non omnes conveniunt.

7. CONCLUSIO. Princeps Legislator quoad vim directivam tenetur suis legibus in materia communi, & accommodata tam Principi, quam subditis. Ita Reding. a. 3. controv. 3. conformiter ad mentem S. Doct. q. 96. a. 5. ad 3.

Prima pars probatur: nam primò Christus Matth. 23. reprehendit Prælatos, qui multa jubent, & non faciunt. *Alligant, inquit, onera, & digito suo volunt illa movere.* Secundò, in c. *Cum omnes*. de constitut. quod D. Th. adducit loc. cit. dicitur: *cum, quod quisque juris in alterum statuit, ipse eodem uti debeat.* & Sapiens (Catonis) dicat *authoritas: Patere legem, quam in ipse ruleris, &c.* In c. *justum* dist. 9. *Justum est Principem legibus obtemperare suis: tunc enim jura sua ab omnibus custodiendâ existimet, quando & ipse illis reverentiam præbet.* Et ne ista consilii tantum causâ dicta exillimentur, ibidem subjungitur: *Principes legibus revere suis, nec in se posse immutare jura, quæ in subiectis constituunt, justum est.*
R. P. Alex. Theol. Schol. Tom. 11.

enim vocis autoritas eorum, si, quod populis prohibent, sibi licere non patiantur. Unde D. Ambros. ep. 32. ad Valentin. Imp. *Cum præscripsisti alii, præscripsisti etiam tibi, leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat.* In l. *digna vox*. C. *de legibus*. *Digna vox est majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri, &c.* Denique D. Th. loc. cit. *quantum ad DEI judicium* [h. e. in foro conscientia] *princeps non est solus à lege, quantum ad vim directivam ejus.*

CONCLUSIO SECUNDA. *Hac obligatio in Principe non provenit directè à propria ipsius lege.*

Ratio est primò. Lex principis, prout habet vim directè obligandi, est ipsius imperium politicum versus subditos: sed Princeps non est respectu sui ipsius Superior aut subditus: ergo lex respectu ipsius Principis non habet rationem legis directè obligantis. Secundò. Directa obligatio pendet ex voluntate & intentione Principis: sed Princeps in condenda & publicanda lege intendit alios, non seipsum obstringere: ergo. Nihilominus sit

CONCLUSIO TERTIA. *Princeps indirectè tenetur suis legibus.*

Ratio est: Principem indirectè obligari suâ lege, aliud nihil est, quam ipsum directè obligari à lege naturali, ut se conformet suis subditis in observantia suæ legis, ex hypothesi, quòd illam rationabiliter tulerit: sed ita obligatur: ergo. Minor probatur: nam lex naturæ obligat Principem ad procurationem boni communis: sed hoc maxime pendet à bono exemplo Principis, & conformitate omnium membrorum: nam ut D. Aug. l. 3. confess. c. 8. *curpis est omnis pars suo universo non congruens:* ergo ex suppositione legis rationabiliter promulgatæ, ex consequenti lex naturæ Principem obligat ad observantiam suæ legis. Cùm itaque dicitur Princeps esse *subditus legibus*, & esse supra leges, id intelligendum est de potestate directæ, & coactivæ, non autem de potestate indirectæ; item in hoc sensu, quòd leges ex rationabili causa mutare, abrogare, & in iis dispensare possit, non verò quòd sit ab omni obligatione immunis. ut habet S. D. loc. cit. Ita docent præter citatos clarissimus D. Clesle Jurispr. fundam. l. 1. Tit. 11. §. 5. & Clariss. P. König. Jur. Can. l. 1. Tit. 2.

Colliges ex dictis primò. Principem indirectè obligari per legem irritatoriam, in quantum illa inducit obligationem omittendi actum: nam hic militat eadem ratio, quæ in aliis legibus: in quantum verò tollit valorem actus, sic verius non obligatur: cùm enim princeps possit in lege dispensare, præsumendum erit, quòd in tali casu & puncto secum dispensare voluerit, si contra legem egerit.

Colliges secundò. Contra Salmanticenses, pluresque alios, prædictam obligationem non oriri ex sola honestate & decencia naturali, ut Princeps se conformet suis subditis, ne illas suis subditis reddat suspectas, duras & odiosas; sed etiam quia dicitur lex DEI æterna & naturalis, ut Princeps in materia virtutis, quam pro bono communi necessariam determinaverit, ipse hoc agat exemplativè, quod subditi agunt subjectivè: non enim minus ipse lege naturæ obligatur suò exemplò,

exemplò, quàm suà lege prospicere bono publico; si ergo iudicet necessarium, suà lege determinare subditis observantiam certæ virtutis, v. g. jejuniæ, vel abstinentiæ intra motivum & virtutem temperantiæ; aperiitionem horreorum ad sublevationem pauperum, ex motivo & virtute misericordiæ, observantiam alicujus festi, recitationem Breviarii, frequentationem Sacramentis, &c. ex motivo & virtute Religionis, quod subditi tenentur facere subjektivè, h. e. vi subjectionis, quâ obligantur obedire Superiori præcipienti, Princeps tenetur facere exemplativè, h. e. ex ratione capitis, quâ non minus tenetur subditi exemplò prospicere bono publico, quàm subditi sub obsequio. Ex quo ulterius

12. Colliges tertio. Principem transgrediendo suas leges in gravi materia, non tantum peccare venialiter contra honestatem & decentiam conformitatis cum reliquis membris Reipubl. sed etiam mortaliter contra illam ipsam virtutem, cujus materiam suo præcepto observandam determinat. E. g. si tulerit legem propter necessitatem patriæ, ne frumentum efferatur, ne arma, vel equi hostibus vendantur, peccabit contra pietatem in patriam, frumentum efferendo, & arma vendendo, &c. nam suppositâ determinatione certæ materiæ sub motivo alicujus virtutis, non minus Princeps obligatur lege & dictamine naturali, per conscientiam imperante: *Patere legem, quam ipse tuleris*; quàm subditi, lege & dictamine naturali: *Obediendum est Superiori iusta imperanti*: sed isti sic obligantur, ut peccent contra virtutem, sub cujus motivo materia per legem determinatur: ergo & Princeps suæ legi contrariando hoc modo peccabit.

13. Sed opponunt Theologi S. Galli primò. Neque ex moralibus principiis per se notis, neque ex ulla positiva lege constat, Principem obligari in conscientia ad servandas leges proprias: ergo gratis asseritur. Secundò sequeretur legislatorem strictiori jure obligari ad servandas suas leges, quàm obligantur subditi: illi quippe humano solum vinculo stringuntur facile dispensabili, ille verò tenetur adamantino vinculo legis naturalis, vel divinæ: quod est absurdum.

Respond. ad 1. ex lege tam Civili quàm Canonica, & autoritate Angelici Doctoris, quas n. 7. adduximus, sufficienter constare, dari legem æternam & naturalem, quâ Princeps tenetur, in materia sibi & subditis communi, ea agere per modum capitis, quæ subditi agunt tanquam membra inferiora Reipublicæ.

Ad 2. Respondeo primò. Non esse tantum absurdum, ut Adversariis apparet, quod gravis in judicio DEI imputetur Principi transgressio suæ legis, quàm subdito; cum Principum transgressiones sint suapte natura scandalosæ, & perniciosæ bono publico, cum *magnis animos subeant auctoribus*. Neque est hoc scandalum per accidens, sed quasi per se conjunctum, si Princeps legem à se rationabiliter latam primus non servet. Respond. secundò negando antec. nam in hoc est paritas inter Principem & subditos, quod utramque partem stringat legis naturalis obligatio: hæc tamen differentia, quod subditos obliget radicaliter & remotè, mediante nimirum

voluntate & lege Principis; Principem verò proximè, sed tamen ex hypothesi legis à Principe rationabiliter lata. Quâ proinde remotè per dispensationem, etiam cessabit influxus legis naturalis.

Colliges quartò. Obligationem indirectam Legislatoris non nasci ex virtuali pacto inito inter Rempubl. & Principem, eâ conditione accipiendi potestatem ferendi leges, ut iis & impleat foret obstrictus: Neque ex pacto & conditione sub quâ DEUS potestatem legislatori dederit ferendi leges universales, ut scilicet, ita exigente necessitate boni communis totiusque corporis, etiam Princeps tanquam Reipubl. caput obligaretur. Nam primum quidem minime subsistit: tum quia id pactum gratis & sine fundamento fingitur: tum quia non erat in potestate Reipubl. Principem absolvendi ab ista obligatione: tum quia fallit in legibus Summi Pontificis, qui suam jurisdictionem immediate habet à DEO. Secundum quoque, quod Suarez affirmat cit. c. 3. n. 11. non stat solido fundamento: cum enim fateatur Suarez necessitas boni communis exigat hæc obligationem, quid opus est aliquo pacto specialiter & libero DEI? cum lex naturæ dicat, *Patere legem, quam tulisti*, ad stipulante communi consensu legum & Sapientum; è quibus Aristoteles 3. Polit. c. 7. docet, *Legem debere in Republica dominari*; & Josephus l. 17. antiq. c. 10. Tyranni characterem in Herode agnovit, quod esset *juris Dominus, sed ira servus*.

Colliges quintò. Per se loquendo Principem non obligari lege municipalis, remoto videlicet periculo scandali, vel injustitiæ & iniquitate in contractibus: nam Princeps obligatur tanquam caput & membrum Reipubl: est autem caput non tantum respectu hujus civitatis, & provinciæ, sed respectu plurium. Ita Hagnold, Pausan. Suarez l. cit. & P. Penschacher q. 4. a. 11.

§. II.

An Clerici teneantur Legibus Civilibus?

Suppono primò. Clericos & Regulares de quæ vi coactiva legum civilium, [2] neque directivè directè obligari: uterque enim modus obligandi supponit in obligante jus & potestatem supra personam obligatam, quæ nulla est magistratu civili supra personas ecclesiasticas, ut pote in eminentiori statu, & gradu vitæ constitutas, uti constat ex *Ecclesia de constitut. ubi dicitur: Quod Laicis super Ecclesiis & personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas: quæ obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi* &c. Et Concil. Later. Sess. 9. *Cum à jure tantum Divino, quàm humano laicis nulla potestas in ecclesiasticas personas attributa sit*.

Suppono secundò. Quando leges civiles imponunt de personis, aut rebus ecclesiasticis deinde materia & objecto statum ecclesiasticum debeat, neque directè, neque indirectè extendi ad personas ecclesiasticas; tunc quippe legum superiorum quoad ecclesiasticos relinquitur tam jus Divinum, quàm Canonicum, quod ecclesiasticum statum supra laicalem exivit. Igitur quævis obligatio de legibus Civilibus, quæ ad communem Reipublicæ felicitatem ordinantur, statui ecclesiasticis

§. III.

fico non indecora, neque ipsius immunitati no-
xia. De quo fit

18. CONCLUSIO. Clerici obligantur ejusmodi
prædictis legibus (2) indirectè, in quantum obligatio
easdem servandi parit à jure natura, parit à
Pontificio dimanat: quales leges sunt, quæ prohi-
bent nòltu arma portari, bombardas in civitate ex-
plodi, merces extrahi, & accedi loca contagiosa, &c.
Ita quoad 1. p. omnes: quoad 2. p. Azor, Valquez,
Engel, Clariff. D. Doctor Cletle loc. cit. aliique.

Primæ partis ratio est; quia Clerici sunt veri
cives & membra Reipubl. adeoque obligantur ut
etiam ex sua parte concurrant ad ejusdem com-
munem felicitatem: sed absque conformitate inter
membra communitatis in servandis legibus
totam communitatem concernentibus nequit ob-
tineri salus publica: ergo ad hanc conformita-
tem servandam etiam Clerici tenentur. Secun-
dò, per Reg. 55. juris in 6. qui sentit commodum,
etiam debet sentire onus: Cum igitur Clerici sen-
tiant commoda Reipublicæ, æquum est, ut etiam
sentiant communia onera ipsorum statui, & im-
munitati non repugnantia. Tertio. Quia Ec-
clesia leges Civiles non respuit, sed potius admit-
tit per c. 1. de novi op. nuntiat.

Ratio 2. p. est: nam primò lex naturæ dicitur,
ut membra concurrant ad conservationem totius
corporis, nève cives impediant bonam gubernationem
Reipubl. sed ista conservatio & bona gubernatio
necessariò requirit conformationem
membra & civium: ergo cum Clerici sint
membra & cives Reipubl. necessariò tenentur se
conformare aliis civibus, sub prædicta limitatio-
ne. Ex quo ruit fundamentum à Clariff. D. P.
Peschacher oppositum, quòd lex naturalis de ser-
vanda conformitate ad summum obliget solum
sub veniali, cum solum sit honestatis & decentiæ,
adeoque gravis obligatio Clericorum ad servan-
das leges civiles ex jure naturæ nequeat derivari:

Nam Respondeo: Quando conformitas est ne-
cessaria ad bonum statum & felicitatem publicam,
ejus obligationem non esse tantum decentiæ, sed
etiam necessitatis, prout primùm de obligatione
Principis in simili dictum. Secundò ex Jure
quoque Pontificio hæc obligatio derivatur: cum
enim Sum. Pontif. approbet, quòd Clerici fiant
partes & membra Reipubl. & passim in corpore
Juris Canonici approbet leges civiles immunitati
Ecclesiasticæ non adversas, ut c. 1. de novi op.
nunt. c. 28. de privi. c. 12. in fin. de Arbitr. c. de
capitulis 9. dist. 10. &c. etiam ex Summi Pontif.
voluntate Clerici ejusmodi legibus obligantur.

19. Contrarium sentit, & opponit Clariff. P. Il-
fung de Legibus c. 2. §. 3. n. 28. Legislatores ci-
vilibus habet directam potestatem legislativam in
omnia membra Reipubl. sed Clerici sunt membra
Reipubl. ergo gubernator Civilis habet in ipsos
directam potestatem legislativam: ergo directè,
non indirectè obligantur, præsertim cum nulla
sit lex Divina vel humana, quæ Clericos eximat à
directa jurisdictione in rebus civilibus.

Resp. dist. maj: in omnia membra Reipubl. si-
bi subdita, & non privilegiata, concedo; non
subdita & privilegiata, ut sunt Clerici, nego maj.
& sic distinctè à minore, nego consequentiam. pri-
vilegiata verò Clericalis status exemptio patet ex
allegatis textibus, iisque plurimis.

An & quomodo legibus teneantur infantes,
pueri, amentes, ebrii?

CONCLUSIO PRIMA. Infantes & perpe-
tuo amentes non obligantur humanis legibus,
Ita omnes.

Et ratio est manifesta: quia lex est rationalis
regula humanorum actuum; ergo ubi non est ca-
pacitas rationis, & humanorum actuum, ibi non
est subiectum legis: ideoque ejusmodi personis
in Quadragesima licitè apponuntur carnes: Un-
de tamen non sequitur, quòd ad blasphemias, ad
verbera infligenda aliave opera ex se intrinsecè
mala amentes licitè infligentur; nam quia insti-
gator ad similes actus utitur amentibus tanquam
instrumentis, idcirco ipsi tanquam causa princi-
pali operum deformitas imputatur.

Dixi primò, perpetuo amentes; nam si tantum
per intervallum delirent, non desinunt lege obli-
gari, quantumvis legis transgressio, quæ tempore
amentia contingit, ob impeditum rationis usum
in culpam ipsis nequeat imputari, ideoque tan-
tum sit materialis, non autem formalis trans-
gressio.

Dixi secundò, humanis legibus; nam sub lege
naturali, quæ cum ortum trahat cum ipsa natura
intellectuali rationis capaci, etiam pueri ante
completum septennium, à quo primùm leges hu-
manæ obligare incipiunt, & amentes sub lege na-
turali comprehenduntur, ut advertit Magnif. P.
Peschacher loc. cit. Ex quo fit, ut si malicia
suppleat ætatem, etiam infantes seu pueri ante
completum septennium contra legem naturæ
peccare possint: & qui amentes infligat ad actus
intrinsecè malos, peccet cooperando ad actus ve-
rè prohibitos: quamvis per accidens amentibus
in culpam non imputentur.

Postquam pueri pervenerunt ad usum rationis, 21.
qui post septennium adesse præsumitur, subji-
ciuntur non tantum divinis, sed etiam humanis
legibus, quatenus præcepta materia congruit ip-
sorum ætati, quia lex est generale mandatum,
quod omnes obligat, qui sunt capaces obligatio-
nis: sed pueri cum pervenerunt ad annos discre-
tionis, sunt capaces obligationis, unde in c. omnis
utriusque sexus, de penit. & remiss. omnibus fi-
delibus, cum ad annos discretionis pervenerint,
præceptum annuæ confessionis imponitur: ergo
tunc humanis legibus obligantur. Dixi, quate-
nus ætati congruit; nam præcepto paschalis
communions, & jejunii non statim adstringun-
tur, quia hæc eorumdem ætati non congruunt.
Ita Palaus tr. 3. disp. 1. puncto. 24. Layman tr. 4.
c. 10. n. 4. & alii.

Inferes ex dictis, Pueros post annos discre-
tionis incurrere censuras & poenas, delictis à se
commisis imponitis. Ita Haunold tr. 1. c. 1.
cont. ult. §. 5. Suar, & DD. communiter: quia
in c. ult. de sent. excomm. Ubi pueri percussores
Clerici ab Episcopo jubentur absolvi, Sum. Pon-
tifex supponit pueros incurrisse excommunica-
tionem canonis: Si quis suadente 17. q. 4. quam-
vis nullibi jura directè statuunt, quòd pueri pec-
nam excommunicationis incurrant. Unde nec
est ratio pueros eximendi ab iis poenis & censuris

latae sententiae, ut contra Palaum advertit Magnif. P. Pertschacher loc. cit.

§. IV.

Quomodo obligentur subditi existentes extra territorium?

23. **N**Otandum: Subditum dupliciter posse territorio esse praesentem; physice, h. e. secundum suam personam, & moraliter, h. e. secundum aliquam suam actionem, omissionem, vel damnum a se causatum intra territorium. Quo posito sit
24. **CONCLUSIO PRIMA.** *Subditus tam physice, quam moraliter constitutus extra suum territorium non tenetur lege sui territorii.* Suar. l. 3. c. 32. cum communi. Constat ex c. 2. de constitut. in 6. & l. ult. ff. de jurisd. Ubi dicitur: *Extra territorium jus dicenti non paretur impune.* Ratio est: quia cessante causa subjectionis cessat legis obligatio: sed extra territorium cessat causa subjectionis: ergo. Minor probatur: Causa subjectionis erga hunc vel illum legislatorem est territorium (h. e. districtus alicujus jurisdictioni subiectus) nam acquisitione vel mutatione territorii acquiritur, vel mutatur subiectio: sed haec causa cessat extra territorium, in quo furtum est affectum poena excommunicationis, furatur, censuram excommunicationis non incurrit, ut dicitur in cit. c. *animarum.*
25. Dixi, *tam physice, quam moraliter*; nam si sit praesens moraliter, & si absit secundum suam personam, legibus territorii sui subiacebit: obligatio quippe legum tangit personas propter operationes, intra territorium exercendas, vel omitendas: unde si persona secundum possessionem & actionem, vel omissionem aliquam sit praesens, illa praesentia ad obligationem contrahendam sufficiens erit: aliam quippe male consultum foret bono publico, quod saepe plus nocenti patitur a causis diocesanas vagans, si omitat agere, quae ipsi ex officio parochiali incumbunt, peccabit contra leges diocesanas, ab Episcopo puniendus, nam omissionis culpa & effectus intra territorium consummantur. Sic obligant statuta prohibentia exercitium mercaturae extra territorium, quia damnum quod ab ejusmodi exercitio Respublica patitur, intra territorium peragitur.
26. Dices: Praeceptum comitatur personam etiam extra territorium discedentem: ergo lex quoque obstringit personam extra territorium constitutam. Respondeo negando consequentiam: quia praecipuum primario respicit privatam utilitatem subditi, cui expedit ubique terrarum posse obligari: Lex vero per se respicit publicam utilitatem territorii, cujus haud interest, quid subditi extra illud agant pro suo arbitrio.
27. Colliges ex dictis primò. Etiam si quis eam intentionem transiret ad aliud territorium, ut se eximeret a lege jejunii, effugere reservationem casuum, quae viget intra suum territorium, posse secure comedere carnes, absolvi a casibus reservationis, &c. quia utitur jure suo: nec vere agit in fraudem legis, quia nullus videtur dolo facere, qui jure suo utitur, per Reg. 55. ff. de Reg. Jur. uti do-

cent Palaos, Sanchez, Salmantic. alique, sed etiamne valebit matrimonium sine Parocho & testibus contractum ab eo, qui ex industria & hoc ipso sine extra territorium abiit in terras, ubi Decreta Tridentini Concilii non sunt promulgata? Affirmant Th. Sanch. l. 3. de matrimonio, disp. 18. n. 29. & Pontius l. 5. de matr. c. 9. Negativa tamen praefenda est; nam & Congregatio Cardinalium interpretationi Concilii Tridentini praeposita, & Urbanus VIII. in speciali rescripto & Brevis Apostolico ad Archiepiscopum Coloniensem dato 14. Augusti anno 1627. hujusmodi matrimonium ceu fraude contracta invalida esse declarant, ut refert Lugo in respons. moral. l. 1. dub. 37.

Colliges secundò. Si Cajus Salisburgi existens in festo S. Virgillii, quod est sub praecipuo pro sola civitate, non vero pro dioecesi, cogitur prandio discedere extra civitatem, obligari ad Sacrum audiendum, & ad abstinendum ab opere servili, pro solo matutino tempore, quo adhuc existit Salisburgi, non autem pro tempore respertino, quo existit in loco immuni hujus obligationis. Ratio est: quia praecipuum servandi dies festos est duplex; unum, quo praecipitur auditio Sacri, alterum, quo praecipitur abstinencia ab opere servili. Obligatio prioris praecipui extenditur ad solum tempus matutinam, eoque finitur. Cum igitur toto illo tempore Cajus existat Salisburgi, ubi urget obligatio, etiam Cajus tenebitur audire Sacrum. Alterius vero praecipui obligatio urget divisibiliter pro qualibet parte notabili totius diei. Cum ergo Cajus mediam diei partem in loco obligationi subiecto, alteram vero in loco non subiecto transigat, in priori quidem parte tenebitur, in altera vero non tenebitur abstinere ab opere servili. Sed quid si adhuc matutino tempore Cajus discederet ab aliquo loco, ubi est dies festivus, ad locum ubi non est festivus, essetne nihilominus obligatus ad Sacrum audiendum? Respondeo, esse distinguendum: Vel enim Sacrum unica determinata hora celebratur, uti fit in parochiis, vel plura in vicem succedunt, uti plerumque fit in civitatibus & Ecclesiis collegiatis. Si primum: Communis est DD. sententia, quod lex obliget ante discessum: quia lex affirmativa obligans pro determinato tempore, praeiter obligat ad preveniendum impedimentum illius obligationis: sed in hoc casu lex obligat pro determinato tempore, v. g. hora sexta, & discessus est certum impedimentum legem implendi: ergo Cajus obligabitur ad audiendum Sacrum pro illo determinato tempore. Si secundum: attendendum est, ex mente Haenoldii hic tr. 1. contrav. 6. an Cajus ingrediatur alienum territorium tempore, quo legem audiendi Sacrum implere possit, vel tempore, quo domi existens amplius implere non possit. Si secundum, tenebitur ante discessum implere legem, quia impedimentum supervenit adhuc obligato & existenti in proprio territorio; Si primum, non tenebitur audire sacrum, quia tempore discessus vel egressus e territorio nondum habet proximam obligationem implendi legem. Est tamen etiam mutatorum probabilis sententia, in hoc casu absolute deobligantium ab implenda lege, eo quod d'impo-

tentia illam implendi adveniat obligatione jam extincta per ingressum alterius territorii. Ita D. Petschacher loc. cit.

29. Colliges tertio. Quid dicendum, si è loco ubi urget lex jejunii, cogites transire ad locum ubi non est ejusmodi præceptum. E. g. sit Salisburgi dies jejunii, si vesperi cogites venire Hallam, ubi non est dies jejunii, poteris manè horà septimâ Salisburgi sumere jentaculum, quia jejunii obligatio completur tempore vespertino, pro quo tempore seis te fore deobligatum. Non tamen licebit Salisburgi comedere carnes, quia præceptum abstinentiæ obligat pro qualibet hora diei divisibiliter. Sed quid si è loco ubi non est lex jejunii, v. g. Hallâ transeas Salisburgum, ubi est lex jejunii? teneberisne Salisburgi servare jejunium? Respond. cum distinctione: Vel enim Hallâ jejunium fregisti per duplicem refectioem, vel comestionem carniarum, vel non? si primum, non tenebris jejunare, quia observatio jejunii facta est impossibilis. Si secundum, tenebris ob præsentem obligationem. Ita Sanch. Less. Suar. Petschacher, alii que.

§. V.

Quomodo obligentur peregrini, advenæ, vagi?

30. Certum est primò. Quamprimum peregrinus accessit aliquem locum animo ibidem perpetuò manendi, statim subijci legibus illius loci, quia jam ibidem nactus est domicilium, per l. domicilium. ff. ad municipalem, & l. 7. C. De incol. 30.

Certum est secundò, idem dicendum de advenis, qui animo ad longum tempus habitandi morantur in loco alieno: Ita studiosi ad Academias commigrantes tenentur legibus & consuetudinibus illius loci, quia ibidem quasi domicilium figunt, quod Layman probabiliter extendit etiam ad illos, qui animo alicujus negotii tractandi sibi fixam habitationem ad aliquot menses vel septimanas alicubi conducunt. Quod tamen nolim extendas ad illas leges, quibus præscribuntur onera propriè dictam subjectionem supponentia; tunc quippe non nisi subditos propriè tales onerant. Sic studiosi, aliæve id genus personæ non tenentur suscipere tutelam, aliæve Reip. munera subire, cum non veniant in censum subditorum propriè talium, neque in loco studiorum domicilium propriè dictum obtineant. l. 2. & 3. C. De incol. ut observat D. Cletle loc. cit. n. 19.

31. Certum est tertio. Advenas & peregrinos, quamvis tantum ad breve tempus hospitaturi, vel transituri, teneri nihilominus legibus communibus & generalibus, à quibus in sua patria forent immunes. E. g. civis Mediolanensis extra patriam proficiens primis 4. diebus Quadragesimæ tenetur ad jejunium, à quo Mediolani esset absolutus. Layman l. 1. tr. 4. c. 12. cum aliis. Ratio est, quòd consuetudines & privilegia ejusmodi communibus legibus, quibus omnes obligantur, derogantia, sunt localia, & hoc ipso ad loci terminos restringenda, quòd à jure communi exorbitent.

32. Certum est quarto. Peregrinos & advenas teneri illis legibus municipalibus & particulari-

bus extra domicilium, quarum observantia tam respectu advenarum, quàm incolarum necessaria est ad conservationem, & cavenda damna boni publici: nam potestas legislativa data est auctore naturæ in finem conservandi communis boni. Si igitur istud dependeat ab obligatione tam advenarum, quàm incolarum, lex aequè advenas obstringet, ac incolas. Unde etiam pro solis advenis leges ferri videmus; ne v. g. inferant hujus generis libros, merces, arma, &c.

Certum est quinto. Teneri advenam ad servandas condiciones & solennitates contractui præscriptas in illo loco, ubi contrahit: quia ratione contractus ibidem sortitur forum. c. fin. de foro comper. l. 19. §. 1. & 2. ff. de Jud. Restat igitur dubium primò. An peregrini teneantur particularibus legibus locorum, quæ transeunt, extra casus jam recensitos? Affirmativam propugnant Palao, Navarrus, Salas, Suarez l. 3. c. 33. n. 33. Contra quos

Respondeo. Advenæ & peregrini in alieno territorio constituti non animo habitandi, sed ad breve tempus hospitandi, vel transeundi, non obligantur legibus & statutis particularibus illi loco propriis: sic studiosus Salisburgensis Diocesis Pallaviensem transiens [remoto scandalo] non tenetur in festo S. Gregorii audire Sacrum: & Sacerdos Latinus transiens per Ecclesiam Græcam, & vice versâ Græcus per Latinam, potest pro suo libitu vel in azymo, vel in fermentato consecrare, seque vel suæ, vel illius per quam transit, Ecclesiæ ritibus conformare. Layman l. cit. Engel tit. 2. §. 3. Sanchez l. 3. de Matr. Disp. 18. Lessius l. 4. c. 2. dub. 7. Haunoldus tr. 1. de Just. c. 1. contrav. 6. Clariss. D. Cletle l. 1. fundam. Jurisp. tit. 2. §. 3. n. 23. Et ratio est primò, quòd, ut quis obligetur legibus alicujus loci, debet subijci illius jurisdictioni, ibidemque forum acquirere: sed peregrinus ob brevem hospitii moram non subijcitur Jurisdictioni alieni loci, neque forum ibidem acquirit: vel enim ex c. ult. de foro comperenti, acquirit forum ratione domicilii, vel ratione contractus, vel delicti: sed nihil horum supponitur: ergo.

Ratio est secundò. In dubio præferenda est pars benignior: l. 9. l. 56. & 192. ff. de Reg. Jur. sed dubium est, utrum particularibus territorii legibus adstringantur advenæ: ergo sentiendum est, illos nequiquam obligari; præsertim cum nullo jure exprimat eorummodi obligatio, neque publici boni necessitas requirat ejusmodi obligationem, si scandalum ab sit: nam in periculo scandali erit obligatio juris naturalis, ut advenæ sese in eo conforment.

Objicies primò autoritatem D. Ambrosii rescriptam in c. illa, dist. 12. Cum Romam venero, Sabbarum jejuno; cum Mediolani sum, non jejuno: sic & tu ad quamcunque Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, neque quenquam tibi. Ex quo, inquit Glossa ibidem, trivialis ille versus innotuit duxit:

*Si fueris Romæ Romano vivito more,
Si fueris alibi, vivito sicut ibi.*

Secundò. Advena punitur, ubicunque deliquit, per auctoritatem, qua in provinciis ubi de criminibus

bus agi oporteat: ergo subicitur jurisdictioni & legibus illius loci. Tertiò. Sequeretur, peregrinos esse omnino exleges, non enim obligantur proprii territorii legibus, ut ante dictum, nec legibus illius ad quod veniunt; ergo nullis: atqui hoc est contra rectam gubernationem. Quartò. Qui sentit commodum, debet etiam sentire onus, sed peregrini sentiunt commodum, in quantum sunt soluti propriis legibus; ergo etiam debent sentire onus, ut sint ligati legibus alienis. Quintò. Advenæ tenentur se conformare consuetudini & legibus loci in celebrandis contractibus: ergo & in cæteris.

Respondeo ad 1. Ibidem contineri consilium, non præceptum; vel esse accipienda verba in casu scandalii, quod supponere videtur Ambrosius, vel certè si commemoratio fiat per notabilem partem anni. Ad 2. Resp. Ratione delicti à peregrino acquiri forum: at nos loquimur extracalium delicti. Ad 3. *nego sequelam*: nam inprimis obligatur legibus generalibus, & communibus suæ patriæ, secundò etiam particularibus & municipalibus, quando specialem reipubl. utilitatem, & pacificam exterorum cum incolis communicationem concernunt, e. g. ut solvant vectigalia, frumentum non extrahant, &c. tunc enim magistratus sub hac conditione peregrinis transitum videtur concedere, ut & ipsi leges pro boni communis conservatione introducant ob-

servent. Ad 4. Resp. illi axiomati locum esse, quando onus habet quandam connexionem cum commodo, sicuti beneficiarius merito sentit onus obligationis ad recitandas horas Canonicas, quia etiam sentit commodum beneficii; non autem cum onus & commodum sunt disparata, ut hic contingit. Ad 5. Resp. quòd etiam per contractum peregrinus sortitur forum in loco, in quo contrahit, ideoque legibus loci subicitur *l. ff. de vii. ff. de civi.*

Dubium est secundò. An vagi, hoc est, quibus nullibi certam sedem, & domicilium habent, teneantur legibus illius loci, ad quem veniunt? Respondeo. Quamvis Lessius l. 4. de Just. c. 2. dub. 7. n. 49. Jo. Sanchi, Sairus, Layman tr. 4. c. 12. n. 6. ea, quæ de peregrinis diximus, probabiliter extendant etiam ad vagos, communior tamen & probabilior est sententia, vagos à peregrinis distinguendum, & legibus locorum ad quæ deveniunt, subicientium; cum enim sit recta gubernationi dissentaneum, ut aliquis nullis legibus particularibus sit adstrictus, ipsique alibi nullum habeant fixum domicilium, ideo solè præsentaneâ habitatione sibi domicilium comparant, ratione cujus præsentis loci legibus subiciuntur: quod etiam communis consuetudo comprobatur, quæ vagi puniri solent in loco, ubi comprehenduntur, etiam ratione delicti in alio territorio commissi.

DISPUTATIO XXXVI.

DE

Interpretatione, cessatione, & mutatione legis humanæ. ad q. 103.

Hactenus vigorem legis inspeximus; nunc quibus modis temperari, aut omnino enervari & cessare possit, inquirimus: Legis quippe vigor & obligatio vel cessat universim, vel pro casu particulari. Universim cessat vel per cessationem cautæ finalis, vel per legis abrogationem, quæ rursus fit vel ab ipso Legislatore, vel à contrariâ consuetudine. Pro casu verò particulari vigor legis infringitur aut temperatur partim interpretatione & epikia, partim dispensatione. Nunc de singulis.

ARTICULUS I.

De cessatione & abrogatione legis.

SUMMARIÆ.

1. Leges humana mutabiles.
2. Finis legis alius extrinsecus, alius intrinsecus.
3. Potest cessare adequatè, vel inadæquatè, contrariè, vel negativè.
4. Fine adequato legis cessante, cessat legis obligatio.
5. Non si cesset inadæquatè.
6. Cessante fine legis negativè in particulari, non cessat legis obligatio.
7. Tollitur obligatio, sine cessante contrariè.
8. Quid abrogatio, derogatio?
9. Legislator potest abrogare legem.
10. Item Successor, vel Superior ipsius.

11. Non inferior, per se loquendo.
12. Abrogatio legis sine justa causa est valida, quamvis illicita.

§. I.

Cessatio legis intrinseca ex cessatione finis.
Cum res humanæ, circa quas lex humano occupatur, sint mutabiles, ipsas quoque legis mutationibus subjectas esse necesse est, præsertim dicatur Esther c. 16. ubi Artaxerxes seu Artabanus ita scribens introducit: *Nec putare debetis, si diversa jubemus, ex animi nostri venire voluntate.*